



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIV. Quænam alia possit justus sibi, & aliis mereri de congruo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

tionem mandetur, etiam diu differendum sit, quod videtur durissimum; ergo etiam iustus poterit sibi reparationem mereri, non obstante peccato futuro; siquidem in utroque eventu peccatum conjungitur merenti ante executionem præmii.

289. Dicent secundò, iustum merentem alteri transferre sua applicatione meritum suum, pro primo instanti elicatum, in alterum, cui illud applicavit, illudque fieri alterius proprium, quin subsequens merentis peccatum fiat alterius proprium, sicut fit proprium merentis peccatum ipsius subsequens. Sed contra, quia etiam meritum pro primo instanti suapte naturam manet applicatum ipsi merenti, sicut voluntate merentis manet applicatum alteri; sed primam applicatione voluntariam merentis meritum pro alio exercet vim suam, quin subsequens peccatum irritet applicationem alteri factam; ergo etiam applicatione naturali meriti ad ipsum merentem pro primo instanti existentiam ipsius, meritum exercebit totam suam causalitatem, & motionem meritoriam, quia subsequens peccatum possit illam irritare.

290. Probatur quintò, quia illud meremur de congruo, quod Deus ratione nostrorum operum rectam Providentiam dispositione decernit; sed rectam Providentiam dispositione decernit reparationem lapsus ob merita pristina iustorum; siquidem etiam inter homines confertur rationi congruum, & consentaneum, ut facilius impetrent veniam offensæ, qui offendentem pristinis officiis amicitiam arctissime obligarunt, quam alii, & ita sæpe accidere videmus; ergo possumus reparationem lapsus de congruo mereri apud Deum.

291. Confirmatur primò, quia ex Aristotel. lib. 9. Ethicor. cap. 5. aliquid tribuendum est veteri amicitiam; siquidem illa de se juxta præscriptum rationis vim habet ad reconciliationem faciendam; ergo idem judicandum est de Deo, qui facilius est ad veniam, & præsentiora habet iustorum merita. Secundò, quia frequentius est Providentiam Dei celerius convertere in pristinam amicitiam iustos diu deditos obsequiis divinis, quam alios peccatores raro iustos, & observatores suæ legis; sed hæc providentia in aliam causam revocari non potest, quam in memoriam præteritorum operum moventem Deum ad providendum prioribus iustis auxilia efficaciam suam reparationi necessaria; ergo &c.

292. Negativam sententiam tenent Cajet. Conrad. Medin. Zumel. Lorca. P. Vasq. & alii Interpretes D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 7. quibus accedunt Albert. in 2. dist. 28. art. 2. Alens. 3. part. quæst. 61. aliis 69. art. 2. membr. 5. §. 2. Alvarez de Auxil. d. 59. num. 12. P. Egid. d. 8. de Merit. dub. 12. P. Amicus tomo 3. d. 35. num. 141. & alii, licet inter plerosque videatur, dissentionem esse de voce; siquidem plerique impetrationem admittunt, & causalitatem moralem operum iusti in reparationem gratiam ex misericordia Dei, & solam rejiciunt obligationem ex iustitia, & promissione reparationis tribuendæ, quam nos, affirmantes meritum congruum hominis iusti ad reparationem post lapsum, non intendimus, neque intendunt Doctores, quos supra citavimus. Adhuc tamen:

293. Objicies 1. Ezechiel. 18 ibi: Si averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiam ejus, quas fecit non recordabuntur; hoc autem verum non esset, si per opera iustitiam, quæ fecit iustus, mereretur de congruo reparationem post lapsum; ergo &c. Respondeo hoc testimonium debere intelligi: Primò de merito condigno vitæ æternæ, quod

suum effectum non sortitur, quamdiu peccator persistit in peccato, & moritur in illo, sicque etiam de merito reparationis post lapsum. Secundò de merito congruo reparationis innixio in promissione divinâ, quam Deus non fecit iustis labentibus in peccatum, etiam si prius plura iustitiæ opera præstitissent, ideòque Propheta eos monet, ne prioribus operibus fidant, ut labentes in peccatum certò in pristinam amicitiam restituantur.

Objicies 2. Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et cap. 11. *Non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia;* atqui si merita in statu iustitiæ elicit mererentur reparationem lapsus, iustificatio peccatoris jam non esset gratuita, sed propter opera ipsius iustificatis; ergo &c. Resp. primò, hoc argumentum, si valeret, etiam evertere meritum congruum contritionis elicite à peccatore; quod tamen necessariò admittendum esse, & nullo modo adversari doctrinam D. Pauli diximus supra à num. 195. & 205. Respondeo secundò, prædicta testimonia, ut constat ex supra dictis, solum excludere meritum condignum operum supernaturalium, aut etiam congruum operum naturalium.

Objicies 3. D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 7. distinguens meritum condignum, & congruum, utrumque negat iusto respectu reparationis post lapsum; ergo &c. Respondeo D. Thom. non rejicere meritum congruum innixum misericordiam, quod nos tribuimus iusto; siquidem ad primum admittit impetrationem ipsius per orationem à iusto præmissam, quæ recepta à merito congruo à nobis asserto non distinguitur: sed solum differt meritum congruum innixum iustitiæ, aut quasi iustitiæ, quod infallibilem effectum ex promissione antecedenti sortitur.

Objicies 4. Merita mortificantur per subsequens peccatum; atqui non ita mortificantur, si de congruo mererentur reparationem post lapsum; siquidem viva manerent ad impetrationem reparationis; ergo &c. Respondeo merita mortificari per subsequens peccatum quoad condignitatem: non verò quoad congruitatem, quæ cum ipso peccato componitur, ut supra diximus.

Objicies 5. Iustus per subsequens peccatum fit indignus omni præmio; sed nullum potest mereri præmium reddendum indignis; siquidem de ratione præmii est, quod digno reddatur, cum ejus redditio sit actus iustitiæ; ergo &c. Respondeo argumentum solum probare de præmio reddendo ex merito condigno, non autem de congruo, quod non innititur iustitiæ, sed misericordiam: alioqui neque peccator posset mereri de congruo per contritionem primam ejus iustificationem, quod tamen alienum esse à doctrinâ Sacræ Paginæ, Sanctorum Patrum, & à verâ Theologia supra ostendimus à num. 205.

SECTIO XIV.

Quanam alia possit iustus sibi, & aliis mereri de congruo?



DIFFICULTAS 1. Utrum iusti possint sibi mereri de congruo alia dona gratiæ? Advertes, difficultatem posse habere locum, aut in donis gratiæ gratis datæ; aut gratiæ gratum facientis: De his secundis infra dicemus; de prioribus autem nihil à Theologis traditum, aut ex Scriptura, vel Sanctis Patribus habemus

habemus; adhuc tamen unum, vel alterum de illis dicendum. Igitur:

299. Dico 1. Hujusmodi gratiæ gratis datæ regulariter non dantur ex aliquo merito accipientis, sed eas dividit Spiritus sanctus prout vult. Probatur primò ex illo 1. Cor. 12. 8. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientia: alii sermo scientia, &c. Hac autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Confirmatur, quia propter hoc quasi per antonomasiam gratiæ gratis datæ appellantur; ergo &c.
300. Probatur secundò, quia hujusmodi gratiæ gratis datæ solum à Deo dantur propter commune bonum Ecclesiæ; ergo in earum collatione non ad meritum recipientis attenditur, sed ad consilium voluntatis divinæ hæc bona sic dispensantis.
301. Dico 2. Verisimile est, Deum sæpè conferre justo aliquos actus, & effectus harum gratiarum propter ejus meritum. Probatur, quia, ut ex historiis, & factis Sanctorum sufficienter possumus colligere, Deus ordinariè hujusmodi gratias excellentioribus Sanctis confert in testimonium etiam virtutis ipsorum; credibile autem est, quando hoc titulo eas tribuit, tali modo eas donare, ut ratione sanctitatis, fidei, humilitatis, ac gratitudinis illis profint, sub qua ratione ad dona gratiæ sanctificantis pertinebant; sed tale meritum non est de condigno; siquidem neque ex natura rei actus gratiæ sanctificantis ordinantur ad hujusmodi præmia; neque de illis habent promissionem divinam, de qua nobis constat; ergo erit meritum de congruo; congruum enim est, Deum per Sanctos suos mirabilia operari.
302. Quoad gratiam gratum facientem, cum altera habitualis, altera actualis esse possit, habitualement non cadere sub hoc merito justorum de congruo, diximus jam supra num. 256, siquidem per illam constituitur homo in ratione justus; ac proinde in illo supponitur, quando de illo excitatur quæstio; quod autem jam possidetur, non cadit sub merito. Pro gratia actuali:
303. Dico 3. Justus potest sibi gratiam actualem de congruo mereri. Ita P. Soar. tom. 3. de grat. cap. 38. n. 19. & alii. Probatur primò, quia justus potest sibi mereri de congruo donum perseverantiæ, ut supra diximus à num. 258 hoc autem in auxiliis gratiæ sanctificantis consistit; ergo &c. Secundò, quia peccator per actum bonum ex primo auxilio elicito potest mereri secundum ad secundum actum efficiendum, & sic deinceps, ut supra diximus num. 239. ergo multò magis poterit justus hæc auxilia ad eundem modum mereri; sed non illa merebitur de condigno, ut supra diximus; ergo de congruo.
304. Hinc colliges, posse justum mereri de congruo, non solum auxilia sufficientia, sed etiam efficacia. Patet primò, quia illa potest prout sic mereri peccator, ut supra diximus num. 242. ergo etiam magis poterit justus illa mereri. Secundò, quia, ut diximus, justus potest sibi mereri de congruo donum perseverantiæ; sed ad perseverandum in gratia requiruntur auxilia, non solum sufficientia, sed etiam efficacia; ergo &c.
305. Dices: Justus non potest hujusmodi auxilia mereri de condigno; ergo neque de congruo. Respondeo negando consequentiam; facilius enim est meritum de congruo, quàm de condigno; siquidem pauciores condiciones requiruntur, ut quis possit de congruo, quàm de condigno mereri, ut supra diximus.
306. Inferes: Ergo saltem mediatè poterit justus me-

reri etiam de congruo augmentum gratiæ; quatenus merendo auxilium efficax, per illud consequenter merebitur augmentum gratiæ. Respondeo negando illationem; nam augmentum illud verè, & propriè non datur, nisi propter meritum de condigno: non est tamen inconveniens, ut dicit P. Soar. cit. & nos etiam supra diximus, quod meritum de condigno maneat aliquo modo ex merito de congruo, quod tamen solum impropriè, & per modum causæ per accidens, poterit dici meritum talis augmenti.

Difficultas 2. Utrum justus possit sibi de congruo mereri bona temporalia? Advertes, bona temporalia dupliciter considerari posse, prout supra diximus num. 247. Primò secundum se, & sine ullo respectu ad vitam æternam, seu bonum aliquod spirituale: Secundò quatenus operanti moraliter necessaria, aut valde utilia sunt ad vitam æternam consequendam. Hoc posito.

Dico 1. Hujusmodi bona temporalia secundum se spectata, & sine respectu ad vitam æternam considerata, non cadunt sub merito de condigno. Ita D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 10. & 2. 2. q. 122. art. 5. ad 4. & cum eo P. Tanner. tom. 2. d. 6. quæst. 6. dub. 10. num. 237. Probatur primò, quia omne meritum de condigno per se, & ultimè refertur ad beatitudinem hominis; sed non ita referuntur bona temporalia prout sic considerata, ut supponimus; ergo &c. Secundò, quia quod meretur de condigno, est simpliciter bonum, & utile ad vitam æternam consequendam; sed bona temporalia, prout sic considerata, non sunt simpliciter bona, sed secundum quid; neque sunt utilia, imò sæpius sunt nociva consecutioni vitæ æternæ; ergo &c.

Probatur tertio, quia quæ merentur de condigno, solis justis conferuntur; ut potè qui soli merentur de condigno, quia dignificati ex gratia operantur; sed hujusmodi bona temporalia, prout sic considerata, atque bonis, & malis, imò his sæpè copiosius obtingunt, ut constat ex Ecclesiast. 9. 2. & Jerem. 12. 1. ibi: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prevaricantur, & impii ægunt? Et Job. 21. 7. Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatiq; divitibus? Et infra vers. 13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt;* ergo &c.

Dico 2. Hujusmodi bona temporalia, quatenus operanti moraliter necessaria, aut valde utilia sunt ad vitam æternam consequendam, cadunt sub merito condignum hominis justus. Ita D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 10. Conrad. ibid. P. Valent. q. 6. punct. 4. § 6. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 26. num. 31. P. Tanner. tom. 2. d. 6. quæst. 6. dub. 10. num. 238. & alii. Probatur primò ex Psal. 33. 10. *Tremere Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites egerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Et Psal. 36. 25. *Junior fui, etenim senex; & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem.* Et Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et 1. Tim. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura; sed prædictæ promissiones, licet verbotenus absolute videantur, ad sensum tamen explicatum intelligendæ sunt; sic enim intelligit D. Thom. cit. ad 1. promissiones bonorum temporalium olim Judæis factas. Deuter. 28. ergo &c.*

Probatur secundò, quia bona temporalia ex ordinatione divina, sunt quasi instrumenta quædam ordinaria salutis; ergo licet aliqui cætera auxilia gratiæ,

gratiæ, quæ tantum utilia, & non necessaria sunt ad salutem, non cadant sub merito de condigno, utpote extraordinaria, & singularia Dei dona; optimus tamen providentiæ modus postulat, ut bona temporalia oportuno tempore, saltem cum moraliter sunt ad salutem necessaria (simpliciter enim nunquam necessaria esse possunt,) homini justo tribuantur; idque secundum legem Dei ordinariam; & eò oportunius, quò ad hoc ille se magis per pietatis, & virtutum studium disposuerit.

312. Probatur tertio, quia justus suis bonis operibus non solum promeretur gloriam, & beatitudinem animæ, sed etiam corporis in altera vita conferendam; ergo consentaneum est, ut etiam in hac vita, saltem ea, quæ ad corporis sustentationem necessaria, ac simul ad vitam æternam valde expedienda sunt, bene operando promeratur. Confirmatur primo, quia hujusmodi opera habent sufficientem valorem, & proportionem cum tali præmio, & ad illud conferendum non deest divina promissio, neque ulla alia conditio requisita ad meritum de condigno respectu talis præmii; ergo &c. Secundo, quia hac de causa variis exemplis Sanctorum docemur, Deum miris sæpè modis hominibus justis, de necessariis ad vitam providisse; ergo &c.

313. Advertes tamen primo, Deum hæc bona justis non promississe modo semper miraculoso, sed potius ordinario conferenda; sicque non oportere omnem curam, ac industriam humanam in eis procurandis, abjicere, sed cum debita moderatione, sine anxietate tamen, aut nimia sollicitudine, eam adhibere. Secundo, promissionem de hujusmodi bonis conferendis non ita absolute intelligendam, ut quoties homini justo res temporales essent utiles ad vitam æternam procurandam, semper infallibiliter conferantur, & nec in casu quidem extraordinario unquam possint deesse; his enim videntur adversari quædam Sanctorum exempla; sed quatenus Deus ordinariè necessaria ad vitam nunquam justis deesse patitur, aut si nonnunquam deesse patitur, majoribus donis, ac præmiis cum sænore compensat. Undè promissionem illæ accipiendæ sunt de eo, quod ordinariè accidit; ac simul si quid sæcùs accidit, cum tacita obligatione majoris boni spiritualis eorum loco retribuenti, ita ut ipsa etiam paupertas justis cooperetur in bonum, ac si dicat Deus: Promitto me ordinariè non passurum, ut justis necessaria desint ad vitæ sustentationem; aut si quando juxta specialem rationem meæ providentiæ id permiserò, eum defectum majori præmio spirituali compensabo.

314. Dico 3. Hujusmodi bona temporalia secundum se spectata cadere possunt sub merito congruum hominis justis. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 10. Caiet. Contrad. Medin. ibid. P. Valent. q. 6. punct. 4. S. 6. quos citat, & sequitur P. Tanner. tom. 2. d. 6. q. 6. dub. 10. n. 247. P. Soar. tom. 3. de grat. cap. 38. n. 20.* Probatur primo, quia peccator potest illa mereri de congruo, ut supra diximus num. 250. ergo à fortiori poterit illa de congruo mereri justus. Secundo, quia hujusmodi bona considerari possunt, ut diximus, tanquam utilia ad vitam æternam, & prout sic reducuntur ad auxilia gratiæ, quæ necessaria, & utilia sunt ad vitam æternam consequendam; sed hæc potest homo justus de congruo mereri; ergo etiam illa.

315. Difficultas 3. Quid possit justus aliis de congruo mereri? Dico 1. Justus potest aliis promereri, tum auxilia actualia gratiæ ad conversionem opportuna, & congrua: tum ipsam gratiam sanctificantem; at-

Tom. 2.

que etiam gloriam. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 6. P. Tanner. tom. 2. d. 6. q. 6. dub. 7. n. 179. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 38. n. 21. & 22. & traditur à D. Aug. lib. 99. in Exod. q. 149. & lib. 10. contra Faustum cap. 21. & lib. 21. de Civit. cap. 27. P. Arriaga tom. 4. d. 57. num. 27. & aliis.* Probatur primo ex illo *Gen. 18. 32. Non delebo propter Deum.* Et *Psal. 105. 23. Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus sterisset in confractioe in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Et *Psal. 144. 19. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Et *Matth. 9. 2. Videns JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Converte fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et *Luc. 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et *Jacob. ult. 16. Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Ex quibus, & sæpè alibi, satis constat, posse justum aliis impetrare, & mereri de congruo, tum gratiam actualem, tum habitualem, & remissionem peccatorum; ergo &c.

316. Probatur secundo, quia congruum est secundum amicitiam legem, & proportionem, ut qui alterius voluntatem implet, sua ipsius voluntas ab altero impleatur; sed homo in gratia constitutus implet voluntatem Dei; ergo congruum est, ut etiam Deus vicissim hominis voluntatem impleat in salvatione alterius, pro quo orat, & applicat suum meritum. Undè:

317. Advertes primo, quando diximus, justum posse aliis promereri gratiam, & gloriam, debere intelligi per media ordinaria; siquidem gratia, & gloria nemini datur, secundum ordinariam Dei legem, nisi per ordinaria media: Neque esset rationi consonum, secluso peculiari instinctu Spiritus Sancti, petere, aut sperare salutem, aut gratiam alteri, sine talibus mediis, quidquid dicant *Scor. in 4. dist. 4. q. 8. & Caiet. 3. p. q. 64. art. 1.* dari scilicet parvulis interdum majorem gratiam in Baptismo ob merita parentum; quod planè est improbabile. Hinc:

318. Advertes secundo cum *Henrico quodlib. 1. q. 22. & P. Soar. cit. n. 21.* non posse justum mereri alteri primam gratiam habitualement immèdiatè, & sine prævia dispositione sufficiente in adulto, vel sine Sacramento in parvulo; siquidem hoc est contra ordinariam Dei legem; ac proinde quasi miraculosum in ordine gratiæ; quod autem hujusmodi est, non cadit sub merito ordinario. Undè justus dicitur posse alteri mereri primam gratiam, quatenus potest illi mereri, aut applicationem Sacramenti, aut vocationem congruam etiam ad contritionem in adulto, cum quibus causis per se, & infallibiliter est conjuncta prima gratia.

319. Dico 2. Justus potest aliis mereri de congruo quidquid sibi potest mereri, & aliquid amplius. Ita *P. Soar. cit. n. 21. P. Arriaga cit. num. 27.* & alii. Prima pars videtur per se nota, & non solum respectu alterius justis, sed etiam peccatoris; nam licet respectu alterius justis non impediatur ejus meritum per illius peccatum, quod videtur impediri per peccatum alterius peccatoris, cui illud applicat, tamen licet illius peccatum aliquo modo resistat, non idèò impedit illius meritum congruum; sicut illud non impedit in ipso peccatore, quando sibi meretur, ut supra diximus.

320. Probatur secunda pars, quia justus potest alteri mereri primam gratiam auxiliantem, & sanctificantem, quam sibi mereri nequit, ut supra diximus; siquidem primum auxilium, cum sit principium meriti, non cadit sub merito; & prima

Q99

justifi-

justificatio iusti, cum illum formaliter constituat iustum, non potest illam sibi mereri; alioqui esset effectus sui ipsius, & prior, ac posterior se ipsa: potest tamen utramque alteri mereri, quia licet illa sit prima respectu recipientis, supponit jam aliam primam & auxiliantem, & sanctificantem in ipso iusto orante, & merente, suumque meritum alteri applicante.

321. Hinc colliges primo, iustum posse alteri mereri reparationem post lapsum; siquidem non est difficilius remissio secundi peccati, quam primi, neque infusio primæ gratiæ, quæ secunda vice, quam quæ prius fuerat facta; sed iustus potest alteri peccatori primum de congruo mereri; ergo etiam secundum. Confirmatur, quia ex parte merentis possunt concurrere eadem conditiones necessariæ ad meritum reparationis post lapsum, sicut ad remissionem primi peccati; & alioqui lapsus alterius non impedit, neque mortificat meritum iusti, sicut mortificat, & impedit lapsus proprius, ut supra diximus; ergo &c.

322. Colliges secundò, posse iustum alteri mereri perseverantiam in gratia, saltem eo modo, quo potest illam sibi mereri; siquidem potest alteri mereri vocationem efficacem ad primam Dei dilectionem super omnia, vel ad contritionem; ergo eadem ratione poterit illi mereri de congruo secundam, & tertiam dilectionem, & auxilium efficacem ad servanda semel, & iterum præcepta; consequenterque perseverantiam in gratia. Addit tamen P. Soar. cit. n. 22. hoc meritum non extendi ad merendum alteri uno actu diuturnam perseverantiam, & quasi confirmationem in gratia; nam si iustus non potest hoc sibi mereri, ut supra di-

ximus n. 271. minus poterit alteri, cum ratio huius meriti magis urgeat respectu ipsius merentis, quam respectu alterius; & alioqui incongruitas, & inconvenientis, quod in tali merito consideratur respectu sui ipsius, sit idem respectu alterius. Unde ad id satis erit, quod iustus, repetitis meritis, & orationibus, possit alteri mereri in singulis, oportunitatibus auxilium efficacem ad perseverandum in gratia ulque ad finalem.

Colliges tertio, eodem modo sentiendum esse de merito aliorum auxiliorum, vel etiam bonorum temporalium, quatenus ad alterius salutem futura sint. Utrum, & quomodo possit alteri mereri suam prædestinationem, & ejus effectus? Diximus tom. 1. tract. 2. cum de causis prædestinationis egimus. An Sancti in Cælis per suas orationes, & Animæ in Purgatorio nobis etiam nunc de congruo mereantur gratiam, & alia bona? Ex supra dictis d. 2. n. 664. constare potest. Tandem, utrum iustus viator possit de congruo mereri non solum alteri viatori, sed etiam Beato, saltem gloriam accidentalem, vel intrinsecam, vel extrinsecam per honorem, & nominis claritatem apud alios? Affirmat P. Soar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de Orat. cap. 14. ex Innocent. III. in cap. Cum Martha. §. Tertio, de celebrat. Missar. ibi: Pleriq; reputant non indignum Sanctorum gloriam usque ad iudicium augmentari, & idem Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare: quam etiam nos optamus, ut & cum illis regnemus. Hæc de Merito sufficiant. Qui de illo nobis concessit differere, det illo ad vitam æternam consequendam abundare.

FINIS TRACTATUS SECUNDI.



TRAC-



TRACTATUS III.

DE

REVIVISCENTIA

MERITORUM.



QUIA præcedenti Tractatu egimus de Merito, hunc de Reviviscentiâ Meritorum instituemus, nec quidem abs re, licet enim de hac Materiâ, seu potius quæstione in 3. part. *D. Thom. q. 89. art. 5.* agendum nobis esset, quatenus ibidem de illa aguat Doctores, cum de Sacramento Pœnitentiæ tractant, quia tamen in illa controversitur de Merito, illamque Recentiores, cum de Merito agunt, ad Meriti tractationem reducunt, non incongruum videbitur, si illam in hoc loco tractandam adduxerimus. De Reviviscentiâ igitur meritorum tractant *Magister in 4. dist. 14. cap. His verbis. & ibid. Albert. Magn. art. 21. D. Thom. art. 5. D. Benav. 2. part. art. 2. quæst. 3. Richard. art. 8. quæst. 2. Palud. quæst. 1. art. 2. dub. 2. num. 28. Gabr. quæst. 3. art. 3. dub. 3. Caribuf. q. 6. Aureol. q. 2. art. 2. Capreol. ibid. Ocham. q. 9. Scot. dist. 22. q. 1. Major. ibid. Almayn. q. 1. art. 2. Durand. in 3. dist. 31. q. 2. ad 3. Alens. 4 part. q. 12. memb. 4. art. 6. Henric. quodlib. 5. quæst. 24. Hugo Victorin. lib. 2. de Sacram. part. 14. cap. 9. Abul. in cap. 18. Matt. q. 114. Item D. Thom. in 3. part. q. 89. art. 5. ubi Cajet. Cabezud. Pesant. d. 1. & 2. Sylvius, Sor. in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. & 5. Ledesma 1. part. 4. q. 30. art. 2. & 5. Petr. Sor. lect. 6. de Pœnit. Medin. C. de Pœnit. tract. 1. q. 8. Alvarez. de Auxil. d. 61. Montesin. 1. 2. d. 36. q. 6. Nugn. 3. part. q. 89. art. 5. Bonacin. q. 6. de Pœnit. sect. 4. punct. 1. num. 3. Argent. in 4. dist. 22. art. 1. ad 1. & 2. Marsil. q. 11. art. 1. & Palat. dist. 14. d. 5.*

Tractant etiam ex nostra Societate JESU P. Soar. *Opuscul. de Revivisc. cent. meritor. P. Usq. 1. 2. d. 221. & tom. 3. in 3. p. q. 89. art. 5. dub. 1. P. Henric. lib. 1. de Pœnit. cap. 34. P. Granad. contr. 3. de Pœnit. tract. 6. d. 2. P. Mærat. tract. de Pœnit. d. 13. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 5. dub. 1. P. Valent. tom. 4. d. 7. q. 6. punct. 3. P. Filliu. tr. 6. cap. 6. q. 3. P. Ægid. d. 2. de Pœnit. dub. 20. n. 167. P. Præposit. in 3. p. q. 89. art. 5. dub. 1. P. Turrian. d. 14. dub. 1. P. Hurt. d. 2. de Pœnit. diff. 23. P. Lugod. 11. de Pœnit. sect. 1. P. Ripal. tom. 2. de Ente supernat. d. 91. sect. 1. P. Amicus tom. 8. d. 8. sect. 1. P. Soar. Lusit. tr. 1. de Pœnit. d. 4. à sect. 1. P. Arr. to. 8. d. 16. P. Compton. tom. 2. d. 90. P. Rhodex tom. 2. d. 1. de Pœnit. q. 3. sect. 5. & alii. Accedunt etiam Juris Canonici Interpretes: *Gratian. de Pœnit. dist. 4. cap. Intermittentes. §. Dicens. & cap. Divina Clemētia 33. dist. 4. de Pœnit. Et Gloss. ad Doctores in cap. Quærat hîc aliquis. §. Illud autē 33. d. 3. de Pœnit. & utrobique; Navar. Covar. in cap. Alma mater 1. p. 4. §. 10. Tom. 2.**

Q q q 2

& plures